

**De rhachialgitide chronica : dissertatio inauguralis medica ... / auctor
Theobaldus Kloevekorn.**

Contributors

Kloevekorn, Theobald.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Berolini?] : Form. Brüsckianis, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d98aw8bm>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5
D E
RHACHIALGITIDE
CHRONICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

Q U A M
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE VIII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

THEOBALDUS KLOEVEKORN

OSNABRUGENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. HILDEBRAND.

C. TOURTUAL, MED. DR.

M. WIRTENSOHN, MED. DD.

FORMIS BRÜSCHKIANIS.

✓

THESES DEFENDENDAE.

I.

In rheumatismo calido emetica praestantissima sunt remedia.

II.

Nullum graviditatis certum signum.

III.

Causa cyphosis paralyticae Pottii inflammatio.

V I R O

ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ATQUE

EXPERIENTISSIMO

GOD. SIEBENBERGEN

MEDICINAE DOCTORI FT PROFESSORI ET MEDICO

APUD MONASTERIENSES

CELEBERRIMO

NEC NON.

FF

1121

V I R O

ILLUSTRI EXCELLENTISSIMO ATQUE

EXPERIENTISSIMO

FRIDERICO GRÄVER

MEDICINAE DOCTORI, AUGUSTISSIMI BORUSSORUM REGIS

A CONSILIIS AULICIS ET MEDICO

APUD MONASTERIENSES

CELEBERRIMO

VIRIS

SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

STUDII MEDICI PRIMITIAS

EX

PIAE GRATAEQUE MENTIS INTIMO SENSU

VENERABUNDUS

D. D. D.

AUCTOR

Ma
med
toru
medic
bus f
Tali
los,
eorum
qui v
confo
etiarn
tatis i
riman
anima
tres
tuse
divina

P r a e f a m e n .

Maioris momenti et utilitate plenior hodierna medicina omnino esse videtur, quae abditas multorum morborum causas evidentius quam prisca medicina indigavit, ideoque certiores regulas, quibus felicius morbos curare convenit, praecepit. Tali ratione recensiores perscrutarunt morbos illos, quibus columna vertebralis infestatur. Ex eorum subtiliori diagnosi morborum prima initia, qui vitae inimicissimi sunt ex mala columnae conformatione, rectius diiudicare non solum, sed etiam mature agnoscere possumus, et rite pensitatis indicationibus felicius curare; quorum determinam vim in corpus humanum agentem facile animadvertimus eorumque symptomatologiam veteres per bene literis mandarunt, sed latentes causae tunc inexplicabiles fuerunt, aut fortasse divinarunt, nec ex iis certas indicationes invenire

potuerunt. Hinc veteribus ratione causarum abditarum incognitum fuisse morbum credo, quem Pott sub nomine cyphosis paralyticae tractat. Non temere igitur mihi de eo morbo meditantī omnem operam et otium perdidisse videtur, qui ex eo libelli inauguralis argumentum quaererem, omnesque diversorum scriptorum, quos consulere mihi licuit, sententias in ordinem digestas exponerem, morbique causam in inflammatione quadam spinae dorsi vel medullae spinalis, ut ego arbitror, ponendam L. B. probabilioribus argumentis demonstrarem.

§. I.

Protinus autem, ut in descriptione huius morbi ordinem quandam prosequar, eius symptomata enumerare licet. Scire primum oportet et adultos et infantes ab eo infestari. Ob diversas occasionales causas diversa quoque huic morbo procedendi ratio est, vel repente accidit, vel, ut plerumque fit, ab initio pedetentim ingrediens in dies invalescit. Incipit morbus in adultis debilitate columnae vertebralis, quam dolor gravans, obtusus et fixus comitatur, saepe etiam urens, sensimque crescens, quo aegrotantes continuo et vehementer cruciantur. Ab initio quidem dolor unam eandemque sedem tenens, postea ad umbilicum pedesque protenditur, cui non raro tanta lassitudo supervenit, ut aegroti ex parvo labore valde fatigentur. Minuuntur hae molestiae retro

curvato corpore vel in plano recubante. Hinc magna cum contentione se convertere in lectu possunt aegroti. Pro diversa mali sede et propagatione symptomatibus commemoratis alia et nova quoque associantur. Aegrotantes mox, praegressis symptomatibus commemoratis, insuetum femorum, saepe quoque brachiorum frigus sentiunt, quod a foris non infertur, sed ex imminuta sensibilitate originem suam ducit. Simul et pedes convelluntur praesertim noctu, quo fit, ut eundi facultas sensim sensimque deleatur; quamquam paralytios instar partes extremae inferiores labefiant repente, tamen et deesse potest haec affectio, vel aegroti tanquam ex maiori exercitatione subito fatigati videntur 1). Deinde voluntariae alvi et urinae retentiones et excretiones, denique saepe etiam penis facultas se erigendi imminuuntur, tandemque omnino cessat haec; inscie profluit urina solviturque alvus. Dolore pectus et abdomen constringente afflicantur, et respirationis et digestionis modus pervertuntur. Invalescente morbo, exoritur saepe vertebrarum columnae cyphosis, vel singulus vel plures vertebrarum processus spinales protrahuntur; sunt tamen nonnulli, qui, id fieri, praesertim in initio

1) Richter, Specielle Therapie, tom 5, pag. 712.

morbi, negent 2). Vel vera paralysisprehendit aegrotum, vel carie vertebrae tentantur, et si prospere res peragitur, ankylosis et cyphosis pedisequae sunt. Sin autem res male procedit, febre hectica et tandem morte subsequuturo aegrotus vita privatur. Cariem adesse opinantur ex dolorum vehementia et paralyisio augmento, quibus accedit manifesta febris lenta. Nonnunquam cariem occulte per totam vitam agere posse, multi affirmant 3).

§. 2.

Infantes, quos morbus invadit, in initio hilaritate privantur, spontanea lassitudine celeriter fatigati, frequenter decidunt in terram, quamquam illos nihil offendit. Malo passu et extortis pedibus incedunt, quamquam aut sella insidentes aut currentes in rectam lineam dirigere et protendere pedes conantur, involuntario decussantur, quo fit, ut infantes ex improvisis cadant. Crescente mor-

2) Rust arthrokakologie, oder über die Verrenkungen durch innere Bedingungen. Wien 1817. pag. 73. Richter, l. c. pag. 710.

Thomas Copeland, Bemerkungen über die Zufälle und Behandlung der Krankheiten des Rückgraths, besonders im ersten Zeitraume derselben, übers. v. Hesse, Leipzig 1819 pag. 5 — 6.

3) Richter, l. c. pag. 715.

bo, se magno tantum cum labore in lectu convertere possunt, sensum molestiae cuiusdam circa praecordia, dolores pungentes in femoribus sentiunt, nec ire possunt.

Haec hectenus recensita, tanquam generaliora huius morbi symptomata merentur aestimari, quae subsequuntur multa alia, ratione loci affecti diversa; ex his commemorare licet: pronum caput vix sustinere possunt, difficile spiritum ducunt, tussis sicca et rauca excitatur, pulsusque arteriarum celerius fertur, etc. Eosdem exitus videmus adultis hominibus evenire.

§. 3.

Quemadmodum diversae morbi sedes sunt, ita et varia dividendi fundamenta ab iis repetere fas est. Hinc tres species observantur: rhachialgitis cervicalis, sive inflammatio in regione vertebrarum colli, rhachialgitis dorsalis et lumbalis. Rhachialgitidem cervicalem adesse, haec demonstrant: dolor fixus circa nucham, sic ut difficile et cum dolore caput vertitur flectiturque. Respiratio difficilis et impedita, sensus formicationis dein stupor brachiorum et tandem eorum paralysis. Infantes, deficiente vi, caput sustinere nequeunt, qua de causa semper fulcro incumbere desiderant. Sin autem morbus sedem suam in regione vertebrarum dorsi habet, rhachialgitis dor-

salis dieitur. cuius signa essentialia haec sunt: angoris molestiae circa pectus, ventriculum et abdomen; vel inertes sunt muscoli abdominales vel paralyti afficiuntur. De quo symptomate verba Copelandi 4), allegare licet:

„Est ist zum Erstaunen, wie früh in der Krankheit sich dieses Symptom entdecken lässt, wenn man seine Aufmerksamkeit darauf richtet. Dasselbe wird zuweilen als Unterdrückung des Athmens, als ein Zusammenschnüren des Magens, als ein rund um den Bauch gelegenes Band, als eine Erschlaffung des Bauches und mit noch andere Ausdrücken von den Kranken beschrieben, und bringt, wenn es schon lange Zeit zugegen war, Verstopfung des Stuhls und Urin-Verhaltung hervor. Genug auf welche Art dieses Symptom auch erscheinen möge, irgend eine Function der Bauch-Muskeln lässt sich als gestört erkennen, was auch von keinem Schriftsteller ist übersehen worden.“

Dein pergit 5): Diese Lähmung zeigt sich als Symptom so früh, dass sie sehr häufig eine Zeitlang als diese oder jene Krankheit, der sie am meisten ähnlich ist, behandelt wird. Ich sah, dass sie Asthma genannt und als solches mehrere Monate hindurch behandelt wurde. Oft nannte

4) l. c. pag. 12.

5) l. c. pag. 14.

man sie Dyspepsie, sogar Leberkrankheit, wegen des unangenehmen Gefühls und Zusammenschnürens in der Magen- und Lebergegend. Zuweilen wurde sie wegen der Verstopfung und des sie begleitenden Schmerzes für eine Krankheit des Dick- und Mastdarms gehalten; und weil die Blase ihre Function gleichfalls nicht versehen kann, so suchte man die Ursache dieses Hindernisses in der Harnröhre oder in den Nieren.“

Tandem si inferior columnae vertebrarum, i. e. regio vertebrarum lumbarum, pars affecta est, rhachialgitis lumbaris nominatur. Desunt plerumque symptomata essentialia rhachialgitudis cervicalis et dorsalis. Vesicae urinae et intestini recti functiones pro morbi vehementia plus minusve laesae sunt, quam ob rem vel pertinacior urinae retentio et alvi adstrictio, vel contra excretio amborum involuntaria est, simulque penis lente nonnunquam erigi potest.

§. 4.

Ex hac symptomatum enumeratione facile quidem intelligitur, triplex esse morbi sedes, sed, tamen reliquum est ostendere: quae signa nobis diagnosin strictiorem comparunt, ut quisque columnae locus affectus rite cognoscatur.

Proxime igitur, columnam vertebralem diligenter vel adspectu vel attrectatu investigemus, opus est; praecipue in utroque latere processuum spinosorum et super eos digitis prementibus non semel sed identidem descendere et animadvertere debemus, an aegrotus inter adtrectandum huc vel illuc dolores sentiat, aut alicubi gibbositatem, sit unius vel plurium spinosorum processuum in vertebrae eminentia, detegamus; uterque et dolor et iniquitas erit indicium loci affecti.

Quum facile haud curiosa columnae vertebralis investigatio decipit, aut sufficienter argumentari nequit, coniecturam in eo niti praecipit Copeland 6), ut aqua calida lavando spongiae ope totam columnam calefaciamus, quo fit, ut suspecta pars intensius doleat. Omnis enim inflammata pars extrinsecus calefacta vehementius incipit dolere. Hoc experimentum nunquam Copelandium fefellit. Eodem modo iam nos de instante inflammatione certiores reddimur, tametsi peculiaris huius morbi symptomata in primo stadio desunt; aut si morbus remotiorem locum esse affectum simulet, e. g. cervicem indi-

6) Copeland, l. c.

cet, dum magis inferior columnae pars labefactata sit; de quare Dr. Jepp 7) expertus est.

§. 5.

Extispicium eorum, qui hoc morbo laboraverunt, ostendit, modo medullam spinalem ipsam, vel velamenta eius membranacea, modo vertebrae earumque ligamenta in statu morbo et alienata fuisse.

Hinc memoratu digna est Copelandi 8) observatio, qui medullam ultimae vertebrae dorsi et primae lumbaris longitudine duorum digitorum defectam invenit, cuius velamenta multis vasis exstructa et crassiora erant, quae humorem quendam continebant. Praeterea vero neque intumescencia neque caries vertebrarum aderat, licet attrectatu locus affectus incipit dolere.

Apud alium in cavo columnae vertebralis circa superiores dorsi vertebrae, massam pultis instar quatuor digitorum longam, filamentis intertextam invenit, 9) membranis medullae adhaeren-

7) P. Frank: oratio academica de vertebr. columnae in morb. dignitate, quam recudi curata exstat in Samml. auserles. Abhandl. f. prakt. Aerzte Lpz. 1810 T. 15.

8) l. c. pag 25.

9) Copeland l. c. pag 25.

tem, et cum tumore in externis dorsi partibus communicantem; medulla vero et ipsae vertebrae sanae erant. De fabrica velamentorum medullae auctor omnino quidem tacet, attamen existimare non licet, eam normalem fuisse, cum massa memorata velamentis adhaeserit. Praeprimis hic notandum est, frequentes erectiones penis perseverante morbo aegrotum vexavisse.

Tertia observatio 10). Extispicium haec ostendebat: medulla oblongata semel tertiam partem consuetae magnitudinis superabat et multo solidior erat, quam par est, eiusque velamenta membranacea tam tenacia erant, ut difficulter dissecarentur. Medulla vertebrarum omnium colli ita mutata, circa vertebrae dorsi sensim naturalem conformationem iterum sibi induit. Notatu dignum est inter rhachialgitidis cervicalis notabiliora symptomata, quam sero apparuit partium extremarum paralysis.

Pott 11) ex sua observatione literis mandavit, quod a recente morbo ligamenta vertebrarum crassiora et laxiora, quam par est, redduntur, et ipsa vertebrarum corpora intumescunt. Morbo

10) Copeland, l. c- pag. 52-

11) Richter, chirurg. Biblioth. tom 5. pag. 46.

Samuel Coopers neuestes Handb. der Chirurgie
Krankheiten der Wirbel.

autem iam diutius perseverante et maxime invalescente, symptomata morbum comitantia non solum intentiora sunt, sed etiam vertebrarum corpora ad cariem inclinant, exilesque et compressae sunt cartilaginee, sic dictae intervertebrales. In acme morbi, quem exitium sequutus est, extispicium veram vertebrarum cariem declaravit, cartilaginee penitus deletae erant, multumque saniei inter ossa destructa et velamenta membranacea spinalis medullae continebantur.

§. 6.

Morbi vertebris ligamentisque insidentis decursus quatuor exhibet stadia duce Rust 12). Stadium primum est, ubi mutationem nullam fabricae spinae dorsi ostendit, quamquam aegrotus in aliquo loco doloribus cruciatur. Stadium secundum eminentia vel unius vel plurium vertebrarum manifestat, et languor partium extremarum in paralysin transit.

In stadio tertio luxatio et caries vertebrarum sequitur.

Stadium quartum denique dum adest, ex tumoribus magnis lymphaticisque in loco affecto, vel ex pure et sanie effusa in musculorum vagi-

12) Rust l. c.

nas aut in cavitates corporis, vel, rupto tumore, ex carie cognoscitur.

Si vero malum profundius vertebrae et ligamenti residet, de eius decursu nil certius dicere possum, quam quae §§ 1 — 2 iam commemoravi.

§. 7.

Potentiae nocentes huius mali partim externae partim internae sunt.

Ad externas pertinent:

a) Fracturae, luxationes, vulnera et contusiones columnae vertebralis. De his Copeland, l. c. praecipue et hoc exemplum refert:

Puer quidem duodecim annorum ab omni corporis exercitatione abhorrens sine ullo malo, nisi incommodum illud in intestinis saepe ortum hic a numerare velis, ex quo proclivitas ad obstructionem sequuta esse dicitur. Nec ulla causa occasionalis detegi poterat, praeter hanc, ut puerum ante annum rheda transiisset, quo factum est, ut spina dorsi exacte inquireretur, ast nulla deformitas animadverti potuit, aegrotus vero fortiori pressione ad latera mediarum vertebrarum dorsi maiorem dolorem sentiebat, quam aliis locis. Dein quoque spongiae ope cum aqua calida spinam dorsi lavavit, hinc paulo post in suspecto loco maior excitatus est dolor, quam in reliquis

partibus minus suspectis. Morbus quieto situ horizontali et ad latera partis affectae vesicantiis saepe repetitis quatuor post menses sanabatur.¹

b) Contentiones fortes columnae vertebralis levandis promovendisque oneribus gravioribus, quam ipsae vires sufferre possunt; etiam oneribus ferendis in cervice et parte superiori dorsi, tanquam causas occasionales accusarunt 13), Fortasse spiritus in pulmonibus retentus hic aliquid momenti habet, cum scilicet probabile sit, respirationem cum eadem vi in medullam spinalem quam cerebrum agere; dum venae cerebrales inter inspirationem tumescunt, interque expirationem collabuntur, qua ratione spiritus retentus causam congestionis ad medullam spinalem esse potest.

c) Commotiones columnae vertebralis 14).

d) Caries vertebrarum extrinsecus penetrans, quae saepe occulte valde latet.

e) Stimuli, quos haemorrhoides intulerunt 15).

13) van Gescher in Richters chirurg. Biblioth. tom. 13- pag. 306.

14) van Gescher. l. c.

P. Franck. l. c.

Derrecagaix in Richters chirurg. Biblioth. tom. 14.

p. 11.

Copeland- l. c.

15) Richter specielle Therapie l. c.

Etiam plethora abdominalis ex aliis causis nacta et congestio ad columnam vertebralem inde excitata. Fortasse et hic notanda sunt, quae Hippocrates dicit 16): Gibbositas in regione lumbali interdum varicibus extremitatum inferiorum et diarrhoea chronica posse sanari.

Ad internas causas pertinent.

- a) Rheumatismus et arthritis 17).
- b) Constitutio scrofulosa, et morbus scrofulosus ipse 18).
- c) Lues venerea 19).
- d) Variolosum et morbilosum Virus 20).
- e) Erythema retropulsum, v. g. erysipelas, scabies, tinea capitis etc. 21),

16) Hippocrates de morb. pop. sect. 7. in P. Franck Oratio.

17) P. Frank, de curand. hom. morbis epitome. lib. II. pag. 50.

Copeland. l. c.

Bononi. in Salzburg. medic. chirurg. Zeitung 1802. Bd. I.

18) Hufeland, von den Scrofuln.

Pott, l. c.

P. Frank, oratio academ.

19) Copeland et Frank, l. c.

20) Hufeland, l. c.

Richter, Specielle Therapie. tom. 5. pag. 709.

21) Hufeland, l. c.

P. Frank. l. c.

f. Metastases februm 22). Copeland exemplum maximi momenti narrat. l. c.

g. Exitus rhachialgitidis acutae 23).

§. 8.

Cum chronicam rhachialgitidem esse credamus inflammationem, eius causam proximam in eadem ponimus, ex qua omnis inflammatio in genere profluit. Quod vero mei non sit intimam inflammationis naturam eruere, nec huius loci est, sese disquisitionibus de ea re implicare, omitamus. Hinc studium omne et operam in eo collocavi, ut ostendam: quo modo indicatae potentiae nocentes talem inflammationem efficere possint, quo simul et denominatio huius morbi probabitur. Notandum vero est, ne de columna vertebrali loquentes solas partes osseas contemplare oporteat, sed etiam quae in his continentur, medullam nempe eiusque velamenta membranacea.

§. 9.

Si consideremus primum potentias nocentes externas, tales esse invenimus, quae gravitate sua

22) Hufeland, l. c.

23) Aloys Brera et Harles über die Entzd. des Rückenmarks im 2ten Bde der Jahrbücher der medic. und chirurg. von Harles.

columnae vertebralis partes affligunt, laesionesque inducunt, vel congestiones ad partes laesas excitant; vel tandem aliqua materia peccans est, quae sua propria natura corrodente partes laedit, excitatque inflammationem, si v. g. caries extrinsecus penetrat.

Sin autem causas internas contemplemus, eas vel in aliqua inflammatione quaerendas esse, quam sive rheumatismus, arthritis, sive lues venerea ex improviso columnae vertebrali intulit; vel eas ex retropulsa aliqua materia morbosa sive sit morbillorum, scabiei, tineae etc. ortas esse videmus.

Quas res in causa inflammationis esse posse nemo negabit.

Et tandem, si consulamus extispicia eorum, qui ex rhachialgitide chronica mortui sunt, in conspectum veniunt intumescientiae, indurationes, exsudationes, supurationes etc.; haec omnia magni momenti esse debent, quondam in his partibus columnae inflammationem adfuisse, quam omnino argumentamur quoque ex medendi ratione ad chronicam inflammationem depellendam instituta, de qua paulo inferius dicam.

Quae nobis perfectam suppeditant aetiologiam, ea enumerare hoc loco oportet, quibus recte intelligitur, qua ratione fieri posse, ut illa columnae vertebralis mutata fabrica, quam ipsa chro-

nica inflammatio conciliavit, talem aegritudinem exhibere possit. Ab experimentis aliorum edocti scimus, actuosam nervorum vitam ab aliqua pressione alienari, vel interrumpi vel ex toto tolli posse; nec aliter res se habere potest, si organica nervorum fabrica mutetur, aut ex parte deleatur, vel denique omnibus ignotum sua peculiari vita nervus privetur, et massa veluti inanimata remaneat.

Ut pressa fuerit medulla, aut fabrica mutata, vel defecissat aliquid medullae, extispicia ostendunt; ex inflammatione nervus quoque enecari, facile credendum est.

Ex omnibus supra dictis luculenter intelligenda sunt omnia praeter naturam phaenomena in illis organis, quae nervi spinales prospiciunt; et de molestiis insuetis et dolorificis circa partem affectam nos disputationibus implicemus, necesse non est. Explicandum autem huius loci est: si sine ulla praegressa inflammatione tumores, v. g. cystici aut hydatidites, in ipsa columnae vertebralis cavitate oriri possint, (hydatidites solummodo oriri posse Frank 24) credidit;) an ex his rachialgitidis chronicae Symptomata exoriantur? Et si res ita se habeat, aliunde etiam aetiologiam postulare oportet. Fore autem in hoc casu sympto-

24) P. Franck, orat. acad. l. c.

mata paralytica dubitare nequit; aliorum tamen iudicium sit, an certis limitibus circumscripta rachigitidis chronicae imago excolatur.

§. 10.

Ad omnia haec, quae §§ 1 — 2 — 3 recensuimus, symptomata si velis respicere, invenies nonnulla, quae sunt quoque aliorum morborum phaenomena; haec cum ita sint, difficilius potest cognosci rachialgitis, praesertim in primo initio. Perpetua symptomata et ad iudicandum necessaria sunt: obtusus dolor alicui loco columnae affixus et incipiens paralysis earum partium, quibus medulla spinalis prospicit nervos.

Quod attinet ad paralytin, internoscere debemus paralytin veram, et rhachialgiticam; haec distinguitur a vera paralyti, quod musculi, inertes quidem, tamen rigidi et tensi sunt, ex qua causa et genu et pedis articulatio aliquem rigorem ostendit, contra in paralyti vera flaccescunt, collabuntur, nunquam se contrahunt, nec actionibus resistere possunt musculi.

Persaepe a morbo alios valde diversos simulante decipitur medicus; licet igitur nonnullos, quibus ille decipi potest, allegare.

Pharyngitis, cuius pathognomonicum symptoma est faucium inflammatio. Asthma, morbi canalis intestinalis et systematis urinarii; phthisis

pulmonalis etc., de quibus Copelandi verba in §. 3. literis mandavi, etiam hic nominari merentur.

§. 11.

Cum vero symptomata R. chronicae, quae non proxime in columna vertebrali se ostendunt, solummodo ex aliqua labe nervorum spinalium producantur, probabile possit videri, maximum discrimen inter morbos genuinos (exceptis morbis dinamico paralyticis) et morbos simulatos a rachialgitide chronica in eo esse, ut hi sine desorganisatione adsint, id autem ab experientia non probari videtur, legitur enim apud Copeland 25) R. chronicam simulasse tam eximie phthisin, ut ipsa sputa purulenta cum febre phthisica adfuissent. Cum autem hoc malum diu iam perseverans ex rheumatismo nactum sit, monendum est primum: rheumatismo prehensam esse columnam non solum, sed etiam pulmones, ideoque phthisin non ex nervorum labe ortam esse, deinde cum longe iam perseveraverit hoc malum, ex diuturna nervorum prohibito influxu omnino pulmones corripui potuisse desorganisationem, si scilicet sputa veram desorganisationem significassent; quam ob rem discrimen in initio R. chronicae verum solummodo potuisset habendum. Quidquid autem verum sit,

25) l. c. pag. 30.

evidenter tamen ex dictis patet, quam facile in dignoscendo morbo medicus decipi potest, et quantopere necesse est, si medicus in dubio haeret, adpectu, attrectatu, motu et calore applicato etc., ut columnam inquirat.

§. 12.

Ex illis, quae in §§ 8 et 9 de aetiologia R. chronicae exposui, constat, inflammationem chronicam, quae in ipsa medulla vertebrali aut in eius partibus vicinis desorganisationem efficit, verisimilem huius morbi causam esse; porro talis inflammationis causam ex aliis peculiaribus morbis saepe quaerendam esse.

Debemus igitur ad morbum curandum:

1. adversus chronicam inflammationem remedia in genere commendata adhibere.
2. his remediis applicandis semper respicere causas eas peculiare, quae in morbis universalibus queraendae sunt, et si una alterave adsit, quoad fieri possit, remove.

§. 13.

Ratione primae indicationis, quae in §. antecedente edixi,

1. recubante corpore aegrotus continuo requiescere oportet; fere omnium motuum ipsa particeps columna exacte requiescat, necesse est, si inflammatione aut eius sequelis afflictae velimus mederi, sicuti id in aliarum partium inflammatione in-

stituere debemus. Resupini situs utilitas intelligitur partim ex ipsa spinae dorsi fabrica, partim ex imminuta molestia aegroti. Ford 26) de his ita persuasum erat, ut dixerit: Ich betrachte die Lähmung der Extremitäten in dieser Krankheit gar nicht als ein ungünstiges Symptom, weil selbe den Kranken zur Ruhe und horizontalen Lage zwingt, wodurch Druck und Reibung der schadhaften Theile des Rückgraths verhütet, und die Wirkung der künstlichen Geschwüre befördert wird.

2. Hirudines applicandae sunt loco affecto; et praecipue in usum vocantur, si morbus recens sit, et signa exstent, quae inflammationis gradum quendam indicant, eum suspicari debemus, si homo aegrotet ex iniuriis mechanicis antegressis, ut commotione, contusione etc., post has causas iteratis vicibus, tam saepe, ut res ipsa postulat, applicandae sunt.

3. Ulcera artefacta, in utroque latere spinae dorsi, loco affecto proxime instituere debemus. Ista tali modo in morbum agunt, ut inflammatio dissolvatur, vel ita, ut ex eorum stimulo exsudatio iam elicita iterum resorbeatur, aut ut vicariam secretionem excitant, qua morbi progressus eiusdemque sequelae prohibeantur. Et si morbi se-

26) Richter, chir. biblioth. tom. 14. p. 128.

queloe caries sit, anchylosis, tanquam faustissimus exitus, inferatur. Ulcera autem vel emplastrum cantharidum ope inducuntur, vel incisione cutidis, vel setaceo, vel cauterio actuale vel potentiale. Omnes methodus ulcera faciendi unam eandemque utilitatem afferunt; cum vero unius alteriusve vis agendi intesior sit, vel haec vel illa methodus ratione gradus, quem morbus iam attingerit, eligenda est. Attamen medici unicuique methodo singularem et inter se diversam utilitatem tribuendam esse credunt. Pott 27) Michaelis 28) Copeland 29) Hunczowky 30) et alii commendarunt cauterium potentiale. Iam Hier. Mercurialis de morb. pueror. mentionem fecit de cauteriis, dicens: quod ad chirurgiam remedia quae eam sunt, quae accommodantur, ut sunt cauteria etc.

Ex auctoritate Portal, vesicatoria saepius iterata plus valent in hoc morbo, si scrofulosis simul adest, quam alia ulcera, propter vehementiorem vim vasa lymphatica irritandi.

Arnemann 31) commendavit usum setacei.

Gimes 32) post usum duodecim moxarum

27) Pott. l. c.

28) Richters biblioth. tom. 5. p. III.

29) Copeland. l. c.

30) ibid. tom. 7. p. 237.

31) System der Chirurgie.

32) Richter, chir, biblioth. tom. II, p. 434.

morbum sanavit, in quo sine ulla efficacia omnia alia frustra adhibita fuerunt. Rust 33) praecipue in usum vocat cauterium actuale vel ferrum candens, et egregie exposuit eius utilitatem, quod prae aliis praeferendum esse arbitratur. Ex sua opinione urendae sunt vibices sex usque septem pollicum longitudine in utroque latere spinae dorsi iuxta locum affectum, tandiu autem urendum est ad locum affectum donec hic crusta elicitur, et post eius supurationem artificiale ulcus faciendum est. Haecne ustio superficialior aut profundior instituenda sit, ipsius inflammationis gradus indicat.

§. 14.

Si ratione secundae indicationis, quam in § 12 exposui, certi sumus, causam morbi localis in aliquo morbo universalis quarendam esse, per se patet, peculiarem morbi universalis naturam contemplare oportere, certasque indicationes sanandi morbi excogitare, quae cum remediis externe adhibendis rite coniungi debent. Quod ad medelas alicuius universalis morbi (conf. §. 7,) pertinet, ex quo R. chronica originem duxit, vel ad curationem symptomatum singulorum, hoc loco mei non esse putavi, sed therapiam specialem consulendam esse arbitror.

33) Rust l. c.

CURRICULUM VITAE

Ego Theobaldus Klövekorn natus sum die X m. Aprilis 1794 Osnabrugi urbe hanoverana. Pio animo veneror parentes optimos, patrem meum Christianum iuris consultum, quem retro decem ab hinc annis ereptum lugeo, et matrem Franciscam, e stirpe Sehorlemmeriana, superstitem. Parentum consilio factum est, ut ego prima pueritia probatissimis domesticis praeceptoribus demandarer. Profectiori aetate, ad liberaliores artes egiscendas, frequentavi gymnasium patriae urbis per quinque annos. Finita scolastica vita in rem pharmaceuticam me incubui, tamen post aliquot annos reditus sum ad altiora rei medicae studia; ad hunc finem antea audivi logicen, psychologiam physicen, chemiam, rem botanicam etc; deinde die XII m. Novembris anno 1816 albo civium universitatis monasteriensis insertus sum candidatus medicinae; quam ob rem anatomiam mihi tradidit Ill. Sentrup, praeceptis pathologicis et therapeuticis inbutus sum, praelectionibus physiologicis duce Ill. Siebenbergen interfui, chirurgiam et artem obstetriciam me docuit Ill. Heindorf. In

dissecandis cadaveribus duce prosectore Wegehau-
sen me exercui.

Anno 1819 sublata est academia monasterien-
sis; tum sine praeceptoribus omnem diligentiam
et assituditatem meam in rem medicam solus
continuo posui. Propter arduas res familiares au-
tem prius ad aliam academiam me conferre non
potui, quam anno 1822.

Tum Berolinum profectus, quo albo civium
die XXVI m. Octobris 1822 inscriptus sum. Tum
Ill. et Spectabilissimus h. t. Decanus Rudolphi me
docuit anatomiam comparatam et anatomiam or-
ganorum sensuum. Interfui Perill. Berendsii (cu-
ius in me benevolentiae memoriam nec ultimum
mihi abolebit tempus) praelectionibus de morbis
nervorum, eiusque commentationibus in Hippo-
cratis aphorismos, et auscultando et practicando
eiusdem institutionibus clinices. Ill. Hufelandii
praelectionibus de morbis acutis et de vita pro-
longanda, eiusdemque clinices institutionibus tam
auscultando quam practicando. Ill de Siebold in-
stitutionibus artis obstetriciae theoreticis et prac-
ticis interfui. Ill. Graefe clinices exercitationibus.
Ill. Knappe tradidit mihi praecepta medicinae iu-
diciariae. Chirurgiae partem theoreticam audivi
a Dr. Jüngken et toxicologiam a Dr: Schubart.
Akiurgiam duce Ill. Rust et Kluge studui.
